

2. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, definitive sentence of the College *coram* Coccopalmerio, *Discessus elapsis votis temporariis et nullitatis professionis perpetuae*, prot. n. 30041-B/99 CA, December 4, 2004*

Prot. n. 30041-B/99 CA

N-NN

Discessus elapsis votis temporariis et nullitatis professionis perpetuae

(Soror X – Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae)

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI.

AMEN.

IOANNE PAULO PP. II feliciter regnante, Pontificatus sui anno XXVII, die 4 decembris 2004, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Augustino Card. Cacciavillan, Ioanne

* The Latin text of this definitive sentence together with the unofficial English translation prepared by William L. Daniel are printed with the permission of the Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura.

Ludovico Card. Tauran, atque Exc.mis ac Rev.mis D.nis Augustino Vallini, *Praefecto*, Francisco Coccopalmerio, *Ponente*, et Xaverio Echevarría Rodríguez, intervenientibus Cl.mo C. Gullo utpote Recurrentis Patrono, Cl.ma M. Wegan, tamquam Patrona Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, et Rev.mo F. Daneels, o.praem., Promotore Iustitiae, in causa de qua supra, hanc tulit

DEFINITIVAM SENTENTIAM

I. FACTI SPECIES

1. D.na X, nata die 9 novembris 1945, post varia experimenta in diversis monasteriis, apud moniales Y v.d. "Z" die 25 aprilis 1991 professionem temporariam emisit, sed die 26 novembris 1992 dispensationem a votis temporariis obtinuit.

Ipsa autem mense septembri 1994 in loco "W" in dioecesi W ingressa est monasterium V et Congregatio IVC-SVA die 25 iunii 1995 pro ea concessit dispensa-

tionem “dal rifare il noviziato canonico. Premesso un periodo di più intensa preparazione, potrà essere ammessa alla professione temporanea, a norma delle Costituzioni”. Addidit tamen prae-fatum Dicasterium: “[...] le informazioni pervenute non depongono a favore della sua perseveranza e della sua stabilità nella vita religiosa [...]. Si attira pertanto l’attenzione dell’Ordinario e dell’Abbadessa su questa circostanza non secondaria [...] e si rifletta profondamente nel prendere una decisione prima dei voti solenni, o alla scadenza del triennio o, se necessario, anche prima”.

Tum die 16 iulii 1995 X professionem temporariam ad triennium emisit, assumpto nomine “Q”.

Orta dein est controversia relate ad administrationem bonorum temporalium monasterii, eo quod Exc.mus Episcopus dioecesanus aegre tulit actiones Sororis X in re, dum ipsa Soror censebat dioecesim sibi appropriare intendere bona monasterii. Quam ob rem, instantibus tam Rev.da Vicaria monasterii quam Exc.mo Episcopo dioecesano, competens

Congregatio Visitatorem Apostolicum monasterii nominavit Rev.mum R, nunc Exc.mum H.S.T. Secretarium, qui die 22 iunii 1998 quaedam dubia movit de interventu ex parte dioecesis W, sed nequaquam egit de appropriatione indebita. Ipse autem etiam haec rettulit: "Il problema più rilevante, è Sr. Q [...]. E' stata ammessa alla professione solenne dal capitolo. La data prevista è per il 15 luglio [...]".

Mandavit dein eadem Congregatio die 27 iunii 1998 Rev.mum R "di notificare alla suddetta Sorella, tramite la Madre Vicaria, la sospensione della professione solenne e la possibilità di proseguire nel proposito di consacrazione in un altro Monastero che la accolga, dove, dopo un congruo periodo di tempo, se ritenuta idonea, potrà essere ammessa ai voti solenni".

Rebus sic stantibus, Soror X die 14 iulii 1998 "ha rinnovato i suoi voti al Signore che durano fino alla sua Professione solenne". Prima vice de hac professione in actis quodammodo sermo fit in responsione Cl.mi

Sororis Patroni diei 27 augusti 2003.

2. Soror Q die 26 iulii 1998 accepta est in monasterio S dicato in T in ambitu dioecesis N-NN et iam die 20 augusti 1998 capitulum huius monasterii Sororem Q admisit ad professionem sollemnem, die 23 septembris 1998 emittendam. Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae tum die 4 septembris 1998 concessit quod “Suor Q [...] possa, emettendo i voti solenni, passare definitivamente al Monastero di T, nonostante le disposizioni degli articoli 200 e 210 delle Costituzioni”.

Attamen, attentis notitiis contrariis, idem Dicasterium die 14 septembris 1998 R.P. A, Visitatorem nominavit monasterii T, ut, inter alia, vellet “esprimere un parere chiaro sulla idoneità e sulla capacità di Suor Q a vivere le esigenze, tanto impegnative della vita claustrale e contemplativa, anche alla luce delle sue passate esperienze in altri Monasteri di Y”, et die 18 septembris 1998 Em.mus eiusdem Congregationis Praefectus Rev.dae Abbatissae notificavit quod: “Questa Congregazione, esaminata con ogni at-

tenzione la questione relativa a Sr X, si trova nella necessità di doverLe comunicare che si sospenda la professione solenne della predetta Suora. Questa Congregazione si riserva ulteriori interventi sul caso”.

3. *Accepta relatione Rev.mi Visitatoris Apostolici, Exc.mus Congregationis Secretarius die 20 martii 1999 Sorori Q scripsit quod: “l’Abbadessa le comunicherà che, concluso il periodo di attesa, conseguente la sospensione della professione solenne, è conveniente che Lei cerchi un’altra via diversa della vita religiosa, per la quale è stata giudicata inidonea più di una volta. Questa Congregazione si trova nella necessità di doverLe dare questa notizia, anche se dolorosa, ma gli ultimi avvenimenti, dalla partenza da W alla venuta a T, hanno fatto emergere la sua non idoneità alla vita religiosa e in particolare a quella contemplativa e claustrale, dando più chiara conferma ai giudizi negativi espressi in precedenza”.*

Qua re litteris die 19 aprilis 1999 notificata, Abbatissa statim ab Em.mo Praefecto Congrega-

tionis petiit ut rem reconsiderare vellet. Sua autem ex parte Sr. Q die 22 aprilis 1999 recurrit ad H.S.T.

Die 5 iunii 1999 Congregatio a Ministro provinciali, B, Ordinario seu Superiore regulari monasterii T, petiit ut vellet ulterius collaborare “per portare a conclusione la questione riguardante ... Suor Q”.

Litteris diei 29 iulii 1999 Congregatio huic Signaturae Apostolicae longam exhibuit relationem a Superiore regulari die 23 iulii 1999 confectam de casu S (Summ., 89-102). Narrat Minister provincialis inter alia quod: “Essendo stato per 12 anni formatore non credo che si debba avere dubbi sulla assoluta non idoneità alla vita religiosa di Sr. Q”.

4. Die vero 30 aprilis 2000 “è stata celebrata in forma semplice la Professione Solenne di Suor Q”. Hac de re prima vice sermo fit in actis in relatione Exc.mi tunc temporis H.S.T. Secretarii de colloquio cum Recurrente die 23 iunii 2001 habito: “La Suora ha confessato spontaneamente di aver fatto la professione so-

lenne nell'aprile del 2000 [...]". Dein Superior regularis de re egit in relatione sua diei 3 maii 2002. De qua professione clam celebrata Congregatio nonnisi mense maio 2002 notitiam accepit et proinde antea rationem habere non potuerat. Documento ad rem tandem in actis exstante, Cl.mus Recurrentis Patronus tantum in responsione diei 27 augusti 2003 prima vice de ea mentionem fecit.

5. Re rite discussa inter Cl.mum C. Gullo, Patronum Partis Recurrentis, Cl.mam M. Wegan, Patronam Congregationis, et Rev.mum Promotorem Iustitiae, H.S.T. tandem aliquando in Congressu diei 13 iunii 2000, attento "quod «actus administrativus intelligendus est secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum; in dubio, qui ad lites referuntur aut [...] personae iura coarctant aut iura aliis quaesita laedunt [...] strictae subsunt interpretationi» (can. 36)", perspecto "quod iudicium de non idoneitate D.nae N «alla vita religiosa e in particolare a quella contemplativa e claustrale», in

casu, non videtur decisio seu actus administrativus singularis prolatus a praefato Dicasterio”, decrevit: “Recursum adversus epistulam Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae diei 20 martii 1999 ad disceptationem coram Em.mis ac Exc.mis Iudicibus admitti non posse ob praesuppositorum defectum”.

6. Cl.mus Gullo rem litteris die 27 iulii 2000 ad Abbatissam de T datis explicavit, praetermittens vero suspensionem professionis sollemnis ab Em.mo Praefecto Congregationis die 26 aprilis 1999 decretam.

Die dein 11 augusti 2000 Discretorium et Capitulum monasterii Sororem Q ad professionem sollemnem admiserunt. De re duo habentur documenta subscripta eiusdem diei, alterum cum sigillo alterum sine sigillo monasterii. In documento cum sigillo non sine quadam ambiguitate asseritur: “essendo esaurita la procedura davanti al tribunale della Segnatura Apostolica con

un non luogo a procedere per mancanza di un decreto amministrativo singolare”, dum alterum documentum erronee contendit quod: “L’unico Decreto emanato dalla Segnatura Apostolica permette a Sr. Q di emettere la sua Professione Solenne”.

Rev.mus autem Minister provincialis die 18 augusti 2000 casu comperit Sororem Q die dominica 20 augusti 2000 professionem sollemnem emissuram esse. Ille statim de re certiore fecit Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, quae die 19 augusti 2000, motivis expressis, decrevit: “La Congregazione [...] con il presente Decreto sospende l’ammissione alla professione solenne di Sr. Q”.

Attenta dein difficultate comunicandi cum monasterio per telephorum vel instrumentum v.d. “Fax”, Superior regularis curavit ut eadem die exemplar illius decreti per nuntios ad monasterium reapse perveniret.

Die autem sequenti professio sollemnis Sororis X nihilominus celebrata est.

7. Rev.mus B, die 21 augusti 2000 rem Congregationi denun-

tiavit, petens “alla Congregazione l’autorizzazione a procedere secondo quanto a suo tempo scrissi al termine della Relazione che mi era stata chiesta dalla Congregazione (23 luglio 1999, pagina 14): ... 3. Allontanamento, anche forzato, dal Monastero T di Sr. Q ovvero X...”.

Idem Dicasterium epistola sequentis diei Abbatissam iussit sine mora exhibere “a sua difesa, le ragioni che l’hanno indotta a tale comportamento”. Respondit Rev.da Abbatisa die 25 eiusdem mensis et anni, sed rationes allatae parvi videntur ponderis.

Congregatio tunc, litteris diei 31 augusti 2000, Rev.mo Superiori regulari B, scripsit: *“questa Congregazione La autorizza ad attuare ... 4. l’allontanamento definitivo dal monastero T di X, risultando nulla la professione solenne emessa il 20 agosto c.a.... non oltre due giorni... dal momento della comunicazione della decisione presa, X dovrà lasciare il monastero”*.

Die 1 septembris 2000 praefata Congregationis decisio Sorori Q seu X coram testibus praelecta est.

8. Epistola diei 2 septembris 2000 (recepta die 9 eiusdem men-

sis et anni) Soror Q seu X coram Congregatione “protesta contro il provvedimento del Provinciale... per la violazione al proprio diritto di intimità... Chiede che le venga data copia del sedicente decreto che il provinciale ha letto, ma non fatto vedere. Ricorre all’Autorità che ha emesso un provvedimento a proprio carico, probabilmente di dimissione urgente, in quanto privo di tutti i requisiti di legge. Chiede, quindi, che tale provvedimento venga revocato con concessione della clausola di sospensione”.

Idem Dicasterium dein epistola die 12 septembris ad D.nam X data confirmavit decisiones latas (“conferma le decisioni prese”), explicans quod: “Con lettera del 18 settembre 1998, questa Congregazione comunicava all’Abbadessa di T la sospensione della Sua professione solenne, riservandosi ‘ulteriori interventi sul caso’. La decisione del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica del 13 giugno 2000... non annullava il predetto intervento sospensivo, per cui, avendo l’Ordinario del Monastero denunciato la celebrazione della Sua professione solenne..., questa Congregazione si vide costretta ad emettere urgentemente un al-

tro Decreto sospensivo, pervenuto poi alle persone interessate in tempo utile. Ciononostante, Ella emetteva i voti solenni, per cui questa Congregazione interveniva ulteriormente autorizzando l'Ordinario del Monastero di prendere provvedimenti disciplinari, tra i quali il Suo allontanamento dal monastero. Quest'ultimo non è da intendersi... una 'dimissione urgente', ma una inevitabile conseguenza della Sua condizione canonica laicale, non essendo stata ammessa legittimamente alla professione religiosa solenne dello scorso 20 agosto.... spetterà al Padre Provinciale, secondo il suo prudente giudizio, darLe una copia del testo delle relative disposizioni a suo carico”.

Soror Q interea die 15 septembris 2000 coram Congregatione institerat ut sibi daretur “testo del provvedimento in base al quale sono stata messa fuori dal Monastero, onde poter articolare le motivazioni dello stesso, senza del quale è completamente inesistente il mio diritto di difesa”. Probabiliter Congregatio tunc censuit ad rem iam satis provisum esse per illam epistolam diei 12 septembris 2000, quae die 18 eiusdem mensis et anni ad Recurrentem pervenit.

9. Litteris diei 18 septembris 2000 Soror Q seu X ad H.S.T. provocavit "contro il rigetto del mio ricorso presentato il 2 settembre u.s. alla Congregazione di Vita Consacrata e Apostolica, di cui ho oggi notizia da una lettera del Sottosegretario della stessa Congregazione, senza che mi sia stato comunicato il decreto stesso, così come non mi è mai stato consegnato il decreto della presunta nullità della mia Professione Solenne. Chiedo a questo Santo Tribunale la sospensione urgente del provvedimento e chiedo che vengano acquisiti... gli atti...".

10. Cl.mus Gullo, obtento exemplari actorum apud H.S.T. exstantium, die 21 novembris 2001 memoriale pro recurrente exhibuit et Cl.ma M. Wegan, Patrona Congregationis, die 28 decembris 2001 exaravit memoriale pro Publica Administratione.

Rev.mus Promotor Iustitiae,
ad rem interpellatus, die 31 ia-

nuarii 2002, inter alia, haec notavit: “Memorialibus Cl.morum Patronorum perlectis, infrascriptus censet acta causae exquirenda esse a Congregatione IVC-SVA...” (doc. 24 in positione).

II. Exquisitis tandem aliquando actis causae, Congregatio ea die 8 maii 2002 transmisit, exhibens quoque “la relazione definitiva del Provinciale dell’Ordine..., Ordinario del predetto Monastero T”.

Data Cl.mis Patronis facultate ut, actis inspectis, memoriale suum complerent, Rev.mus Promotor Iustitiae die 7 iulii 2003 votum pro rei veritate exaravit, ita concludens: “Ab utroque... Cl.mo Patrono clarius et fusius enucleanda est propria thesis, id est quam ob rem suspensio professionis (vel suspensio admissionis ad professionem) ex parte Congregationis IVC-SVA professionem sollemnem Sororis Q in casu invalidam reddiderit, annon.... censeo recursum in casu ad disputationem coram Em.mis et Exc.mis H.S.T. Iudicibus admittendum esse, cum, in hodierno causae discussionis statu, non appareat recursum

manifeste quolibet fundamento carere. Salva facultate rem iterum considerandi, attentis Cl.morum Patronorum responsionibus”.

Quibus receptis responsionibus, H.S.T. in Congressu diei 20 octobris 2003 decrevit recursum ad disceptationem admittendum esse.

12. Die dein 6 novembris dubium hac sub formula concordatum est: **An constat de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decisiones Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 12 septembris 2000 confirmatas.**

Qua occasione Promotor Iustitiae institit ut exquirerentur: a) a duobus peritis in re administrativa votum super quaestionem iuris, de qua in casu, necnon b) quaedam ultiores notitiae et documenta authentica. Quibus documentis obtentis, duo periti petitem votum ineunte mense

aprili 2004 exhibuerunt.

Summario causae, tandem aliquando, mense iunio 2004 confecto, Cl.ma Wegan memoriale pro Congregatione die 22 iulii 2004 et Cl.mus Gullo memoriale pro Recurrente die 16 septembris 2004 exaravit. Exhibito a Rev.mo Promotore Iustitiae die 15 octobris 2004 voto pro rei veritate, Cl.mi Patroni ei diebus 15 et 27 octobris 2004 responderunt.

II. IN IURE ET IN FACTO

13. In primis videndum est quaenam sint decisiones impugnatae.

Congregatio IVC-SVA, litteris diei 31 augusti 2000, cum Rev.mo Superiore regulari B, inter alias, hanc decisionem communicavit: “questa Congregazione La autorizza ad attuare ... 4. l’allontanamento definitivo dal monastero T di X, risultando nulla la professione solenne emessa il 20 agosto c.a....”.

Verbum “autorizzare”, iuxta casum, significat potestatem vel

facultatem vel permissionem concedere alicuius rei faciendae. Patet autem ex contextu Rev.mo Superiori regulari in casu commissum fuisse merum executionis ministerium: “non oltre due giorni... dal momento della comunicazione della decisione presa, X dovrà lasciare il monastero”. Dicitur, ceterum, in iisdem litteris: “questa Congregazione La autorizza ad **attuare** ... 4. l’allontanamento...”.

Ratio a Congregatione allata est haec: “essendo nulla la professione solenne emessa il 20 agosto c.a.”.

Congregatio dein epistola diei 12 septembris 2000 Recurrentis remonstrationem reiecit, ei rem explicans, uti “una inevitabile conseguenza della Sua condizione canonica laicale, non essendo stata ammessa legittimamente alla professione solenne dello scorso 20 agosto”. Dicasterium epistola diei 12 septembris exinde confirmavit “le decisioni prese”.

Decisio immediata igitur est “l’allontanamento definitivo dal monastero T di X”, quae quidem eiectio definitiva nullam peculia-rem procedendi rationem requiri censebatur, cum nonnisi necessaria consequentia esset eiusdem

“condizione canonica laicale”, quae sua vice haberi declarabatur “risultando nulla la professione solenne emessa”.

14. Quid autem de validitate Sororis X duplicis professionis sollemnis in casu? Altera die 30 aprilis 2000 clam celebrata est non obstante decreto Em.mi Praefecti Congregationis IVC-SVA diei 18 septembris 1998, quo “si suspenda la professione solenne della... Suora. Questa Congregazione si riserva ulteriori interventi sul caso” necnon pendente recursu in devolutivo tantum coram H.S.T. adversus invitationem a Congregatione Sorori datam relinquendi institutum ob eius inidoneitatem. Altera celebrata est die 20 augusti 2000, perdurante praefato decreto et non obstante novo Congregationis decreto motivis suffulto diei 19 augusti 2000, quo suspendebatur admissio ad professionem.

Liquet in casu evidenter unam tantum professionem sollemnem potuisse esse validam. Aliis verbis: si professio sollemnis diei 30

aprilis 2000 erat valida, altera diei 20 augusti 2000 nonnisi sollemnis iteratio professionis iam antea peractae habenda est. Et validitas professionis diei 30 aprilis 2000 praesumenda est, donec contrarium probetur.

15. Quoad condiciones quae requiruntur ad validitatem professionis perpetuae, attentio vertitur ad can. 658, qui ad rem remittit ad can. 656, nn. 3, 4 et 5.

Cum nostro in casu agatur de admissione ad professionem perpetuam, speciatim prae oculis habendus est n. 3, canonis citati: "habeatur admissio a competenti Superiore cum voto sui consilii ad normam iuris libere facta".

Attento quod in can. 572, § 1, n. 2, Codicis Pii-Benedictini legabatur "legitimus Superior ad normam constitutionum", nova clausula "ad normam iuris" refert ad ius particulare Instituti religiosi, cuius Constitutiones determinare debent quinam sit in casu Superior competens et quale votum consilii requiratur (cf. can. 6, § 2).

Rationes igitur invaliditatis professionis exhibentur in cann.

656 et 658, dum can. 10 statuit: “Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse statuitur”.

16. Sua ex parte, Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, ad normam art. 108, Const. Ap. *Pastor bonus*, ea “omnia absolvit, quae ad normam iuris pertinent ad Sanctam Sedem de vita et industria Institutorum, praesertim de constitutionum approbatione, regimine et apostolatu, sodalium cooptatione et institutione, eorum iuribus et obligationibus, votorum dispensatione et sodalium dimissione atque etiam bonorum administratione”.

17. Praetermitti potest in casu quaestio utrum, necne, Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, praeter praescripta cann. 656 et 658, gravissima de ratione, in casu exceptionalis et decreto motivis suffulto, suspensioni ipsius professionis perpetuae vel admissionis ad eandem per actum administrativum clausulam irritantem vel inhabilitantem addere

possit, nam de eiusmodi expressa clausula ad validitatem imposita in actis nullum habetur indicium.

18. Cl.ma Congregationis Patrona contendit professionem sollemnem a Sorore X die 20 augusti 2000 emissam fuisse invalidam, eo quod votum consilii fuisset invalidum et Abbatissa debita libertate caruisset.

Cum autem Sororis professio sollemnis diei 30 aprilis 2000, quamvis evidenter graviter illicita, nihilominus valida habenda sit, donec contrarium probetur, Cl.mae Congregationis Patronae argumentum vi caret, nam nullo modo asseritur professionem diei 30 aprilis 2000 illas ob rationes fuisse invalidam. Congregatio, ceterum in epistolis dierum 5 et 12 septembris 2000 haudquam invocavit invalidum votum consilii Abbatissae eiusque defectum libertatis ad professionem sollemnem Sororis X nullam declarandam, sed solummodo hanc rationem invocavit, scilicet quod ipsa emissa erat contra eiusdem Dicasterii decreta suspensiva, quibus utcumque nulla clausula irritans vel inhabilitans addita erat.

19. Quae cum ita sint, in casu dicendum est **constare de viola-**

tione legis in decernendo circa Sororis X “allontanamento definitivo dal monastero”, ob eius assertam condicionem laicalem, quae sua vice haberetur ob assertam nullitatem eius professionis sollemnis.

20. Quaedam breviter dicenda manent de asserta **violatione legis in procedendo**.

Censendum est hanc quoque haberi in casu, saltem quia Superior regularis, mandante Congregatione, processit ad eiectionem definitivam Sororis X e monasterio professionis suae ob erronee assertas eius condicionem laicalem et nullitatem professionis sollemnis. Violatio legis in decernendo redundat ideo in casu in violationem legis in procedendo.

QUIBUS OMNIBUS PERPENSIS

21. Infrascripti Patres pro Tribunali sedentes, Christi Nomine invocato, solum Deum prae oculis habentes, proposito dubio respondendum esse decreverunt

ideoque facto respondent:

AFFIRMATIVE, seu constare de violatione legis in procedendo et in decernendo relate ad decisiones Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 12 septembris 2000 confirmatas.

Et ad mentem.

Mens autem est haec: Attenta gravi illiceitate professionis Sororis X, ad competentem auctoritatem pertinet videre an, et quatenus affirmative, quaenam remedia disciplinaria, servatis iure servandis, adversus eam in casu adhibenda sint.

Ita pronuntiamus ac statuimus, mandantes iis quorum interest, ut hanc Nostram Definitivam Sententiam executioni tradant, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 4 decembris 2004.

✠ Augustinus VALLINI, *Praefectus*
Augustinus Card. CACCIAVILLAN
Ioannes Ludovicus Card. TAURAN

✠ Franciscus COCCOPALMERIO,
Ponens

✠ Xaverius ECHEVARRÍA
RODRÍGUEZ

Die 25 februarii 2005

Notificetur.

✠ Velasius DE PAOLIS
Secretarius

Vincentius CÁRCEL ORTÍ
Moderator Cancellariae